

1997-11-21 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Mandevillensis’

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

CONSTITUTIO APOSTOLICA

MANDEVILLENSIS*

**VICARIATUS APOSTOLICUS MANDEVILLENSIS
AD GRADUM ET DIGNITATEM DIOECESIS EVEHITUR**

Sedulam sane curam constanter adhibemus ut spiritualia Domini beneficia apud totius orbis fideles diffundantur; qua de re Nos cuncta disponere properamus quo id facilius commodiusque eveniat. Consilio igitur concedentes Venerabilium Fratrum Nostrorum, S.R.E. Cardinalium, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, auditoque favorabili eorum quorum interest voto, haec statuimus et decernimus. Cum Vicariatus Apostolicus Mandevillensis haud parva sibi fidei incrementa suscipere pergat maioraque etiam posthac suscipere videatur, de eo cogitavimus ad gradum et dignitatem Dioecesis extollendo. Itaque Apostolica Nostra usi potestate, praelaudatum Vicariatum Apostolicum ad dioecesim eodem nomine *Mandevillensem* appellandam evehimus, quam pariter Metropolitanae Ecclesiae Regiopolitanae in Iamaica suffraganeam facimus et iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Sic conditae Dioecesis sedem in urbe vulgo Mandeville statuimus ibique exstans templum, Deo in honorem sancti Pauli a Cruce dicatum, gradu et dignitate Ecclesiae Cathedralis exornamus eique insignia, privilegia et honores tribuimus, quibus ceterae in orbe catholico Cathedrales Ecclesiae fruuntur. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia ad perficienda Venerabilem Fratrem Eugenium Sbarbaro, Archiepiscopum titulo Tidditanum, Pronuntium Apostolicum in Iamaica, legamus. Re tamen ad exitum perducta, documenta apparentur quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Has denique Apostolicas sub plumbo Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanetum Petrum, die vicesimo primo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. XC (1998), n. 2, pp. 85-86